

DE CODICE RESCRIPTO PARISINO 7900 A

In schedis *Hugonis Dessauer*, viri optime de Quintiliani quae feruntur declamationibus maioribus meriti, nuper praematura morte studiis liberalibus erepti, hanc repperimus commentationem quam dignam putavimus quae publici fieret iuris. Quam ut benigne accipias, rogamus atque oramus.

Monachii.

Georgius Lehnert.

Codex ms. Parisinus 7900 A membranaceus miscellaneus in folio, saeculi X continet secundum catalogum manu scriptum bibliothecae Parisinae nationalis:

- fol. 1—26 Terentium cum commentariis.
- fol. 27—56 Horatii Flacci carminum libros IV, librum epodum, epistularum librum I cum duabus vitis et commentariis (*Acronis*).
- fol. 57—94 Lucanum de bello civili cum commentariis.
- fol. 95—111 Iuvenalis satyrarum libros cum glossis interlinearibus.
- fol. 112—155 Martianum Capellam cum commentariis.

Sed huius codicis maior pars est rescripta. Latent enim sub scriptura posteriore partim binis, partim ternis columnis scripta declamationum, quaecumque erant, et argumenta et excerpta.

Qua de re Udalricus de Wilamowitz in *Hermae* volumine XI pag. 118 haec refert: "Theodorus Mommsenus cum apud Hauthalium in fasciculo Lipsiae 1859 edito quo ille *Acronis* et *Porphyronis* editioni prolusit, pag. 4 legisset sub *Acrone* codicis Parisini 7900 A¹ historicum Latinum latere, a *Benedicto Niese*

¹ nam hanc esse veram eius signaturam iam C. Ritter adnotavit.

inpetravit, ut quid rei esset, exploraret. Qui codice examinato idonea historici Hauthaliani ad Mommsenum specimina misit. folia quidem 99 et 100, in quibus Hauthalius Pompeium et Africam animadvertisse sibi visus erat, venenis penitus esse consumpta, nec multo maiorem recuperandorum ceterorum spem esse eis quae prior scriba pinxisset, nono saeculo, ut Acroni locus fieret, non delutis sed nimis sedulo erasis. Comparere igitur summos tantum apices aut hic illic umbram quandam litterarum. . . . Quae in folio 66 pagina antica *Niesius* expiscatus est, id saltem efficiunt, ut thesaurum quaerere desinamus." Iam sequitur apud Wilamowitzium argumentum declamationis Quintiliani qui fertur, quae 'Caecus in limine' inscribitur, cum additamentis Wilamowitzii cancellis inclusis. Tum pergit, "vides codicem Parisinum eadem continere (*ac reliquos*) sermone paullo exquisitiore sed pleraque magis etiam compendiaria. Ultra se offert coniectura superesse haec ex amplissimo 388 declamationum compendio, e quibus hodie exstant 145 a fine proximae. nam ipsas declamationes in codice Parisino frustatim fuisse concisas constat, siquidem *Niesius* in una columna folii inter 110 et 111 inserti quinquies novum orationis exordium significari animadvertit Futuro, si quis erit, declamationum editori codex utique adeundus est."

Perpauca sunt quae Constantinus Ritter (die Quintilianischen Declamationen, pag. 273) codicem perscrutatus *Niesii* et *Wilamowitzii* adnotationibus potuit adicere. His quaestionibus et controversiis commotus, cum aestate anni 1893 Lutetiae Parisiorum versarer, codicem diligentissime examinavi, sed, quamquam summa oculorum contentione vestigia erasarum litterarum hinc illinc elucentia indagavi et nonnullas codicis paginas arte photographica exprimendas curavi, praeter trium vel quattuor argumentorum aliquotque verborum reliquias tamen quae futuro declamationum sive maiorum sive minorum editori prodesse possent, ut invenirem, mihi non contigit.

Nihilominus ut nonnullos *Wilamowitzii* et *Ritteri* errores corrigam, quae ex scriptura codicis rescripti priore exploravi et expiscatus sum, breviter describam.

Folia 1—17 ternis vicenorum octonorum versuum columnis scripta sunt.

In folio 1^a argumentum aliquod fuisse videtur, quod desiit versu columnae primae undecimo. In contextu verborum inde a folio primo usque ad folium 8^v nec finem declamationis nec initium alterius conspexi.

Folii autem octavi in pagina postica sex versus priores ad marginem sinistrum proiecti et caeruleo vel viridi colore picti erant.

Folii 9^r et 9^v in margine superiore supra columnam mediam titulus aliquis rasura deletus videtur.

F. 9^a in columna tertia argumenti vestigia extant. f. 9^b initium declamationis versu primo longiore ceteris significatur.

F. 10^b col. 3 rasura formam habet cunei, qua argumenta breviora erant exarata. cf. folia 25^b, 75^b, 90^a.

F. 12^b apices aliquot litterarum conspiciuntur.

F. 12^a item ut supra in folio 9 titulus erasus est.

F. 18 binis tantum columnis vicenorum septenorum versuum scriptum.

Paginae anticae in margine superiore inscriptio est oblitterata. Extant autem adhuc litterae

— — *la* — — (declamatio?)

item col. 2 v. 10 *memoriae*; v. 14 *infamem*¹.

Folia 19—24 ternis columnis erant scripta, sed a scriba posteriore ita conversa sunt, ut margo olim superior nunc sit inferior et rasurae titulorum extent in infimis paginarum partibus. Harum inscriptionum reliquiae supersunt f. 19^a *q*, f. 20^r *quint* (Quintiliani?).

In folio 25 binae tantum erant columnae vicenorum septenorum versuum.

F. 25^v c 1. v. 12). F[E]L[I]C[IT]ER.

v. 13). *f* *f* *f*

Inde incipit argumentum declamationis insequentis:

v. 14). [Qui] duos filios habebat leg[e ea]dem

v. 15). um al ta alter.

v. 17). noc.

v. 18). ens (?) filius! adulter (?).

v. 20). . . . nolentem (?).

v. 21).

22). abdicat.

v. 23). *f* *f* *f*

col. 2. v. 1. *E* *pater*

v. 2. *optimus*

Folia 26—56 scripserat librarius ternis columnis.

¹ possunt legi aliorum quoque verborum fragmenta velut v. 2 *inis ille* v. 8 . . . *sq* . . . v. 9: *c . . . t . die*.

F. 26^a: aliquid minii elucet. Erant lineae duodetriginta acuto stilo ductae.

F. 30/31 conversa sunt item ut folia 19—24.

F. 44^v columna tertia ueneno consumpta et obscurata est.

Item f. 49^a, f. 56^b.

Folia 57—94 binis columnis exarata erant.

F. 57^a c. 1. extant vestigia argumenti.

c. 2. aliquot litterae erant minio pictae.

Folii 62^a fragmenta dexteræ columnæ hunc in modum legere atque restituere potui:

v. 4 cau(?)sas mor

5 tis praestat [capite punia]

tur, caedis sit actio. pauper et

diues inimici. filios habebant

sp[ec]iosos. accessit ad pauperem

dives s est

10 pauper ta

cu[it]

. adii(?)t

F. 62^v incipiente declamatione pictor minium adhibuerat.

Folii 66^v columna dextera continet argumentum 'Caeci in limine', quod usus eis quæ Niese, Wilamowitz, Ritter¹ enucleaverunt atque suppleverunt, sic in integrum restituere conatus sum:

[ex incendio domus adulescens]

patrem [e]x[tulit]. dum repetit

matrem [et ipsam et] oculos ami

sit². postea superduxit³ ei pater

5 nouercam. quodam tempore⁴ de

tulit priuignum apud patrem

parricidi eumq. in sinu dixit

¹ qui recte monet: Die neue Seite 66^b (nicht wie man nach Hermes XI, 119 meinen sollte, die erste Zeile von 66^a cecus in limine) zeigt sehr erkenntlich Spuren von Mennig, womit der Anfang der Deklamation verziert war. Lesbar aber ist von demselben kein einziger Buchstabe.

² cf. Ampel. 20, 11 ex ardente templo Vestae Palladium extulit et oculos amisit. cf. Quint. decl. min. 259 (55, 4 R.).

³ superducere nouercam Quint. decl. min. 373 (412, 5 R.), 381 (425, 17 R.) Sulp. Sev. alii; inducere nouercam Plin. epist. 6, 33, 2.

⁴ quodam tempore 'nach einiger Zeit' cf. decl. XVII arg. decl. min. 259 (55,6 R.).

uenenum habere quod ipse pre
 parasset promissamq. sibi di
 10 midiam partem bonorum si
 illud seni porrexisset. re comper
 ta senex filium interrogauit
 an uera essent quae audisset
 negauit ille nihilo minus no
 15 uerca urgente pater scruta
 tus est sinum adulescentis et
 inuento ueneno rogauit cui pa
 rasset tacuit adulescens s[ene]x
 tabulis mutatis nouercam sub
 20 stituit heredem et eadem nocte
 tumultu orto in domo inuen
 tus est senex uno uolnere¹ occisus
 nouerca [i]u[x]t[a] similis dormi
 enti caecus in limine cubiculi
 25 sui stans gladius caeci cruent[atus]
 sub puluino ipsius. accusant se
 inuicem nouerca et caecus.

H H H

F. 72 et f. 79 conversa sunt item ut folia 19—24.

F. 75^v in columna sinistra leguntur:

[EXPLICIT FELICIT]ER

f f

[Qui tr]es filios habebat [duos tyran]
 nos occidit petit praemii
 nomine [ut tertius] fili
 us [eat in] exilium
 [contradic]it
 illi iuue
 nis

F. 80^v dext. colum. in fine:

EXP[LICIT FELICIT]ER

Folii 81^a in columna sinistra fuerat argumentum cum titulo, in dextera declamatio ipsa, in utraque autem extat minii residuum.

¹ momentum illud sane alicuius ponderis praetermissum in recensione argumenti reliquorum codicum.

F. 90^a: col. 2.

- v. 1)
 2) filium pa
 3) te[ru]sti
 4) c[u]s ab
 5) dicat.

H H H

reliqua columnae pars vacat.

In folio 94^a pluribus locis colore viridi ornaverat litteras librarius.

In foliis 88, 95, 112—127, 131, 132, 144 sqq. scriptura prior non agnoscitur.

Folia 96—112, f. 130, 133 conversa sunt.

De foliis reliquis inde ab folio 96 usque ad 143^b hoc unum constat ea ternis columnis exarata fuisse.

Folium 110^{bis}, in quo Niesë quinquies novum orationis exordium animadvertit, segmentum est folii magni e medio exsectum, id quod iam Ritter notat. Continet autem duarum partes interiores columnarum, immo versuum vicenorum quaternorum aut finem aut exordium. Leguntur aliquot litterae et singula verba.

Apparet igitur ex eis quae enarravimus, codicem rescriptum ex duabus compositum esse partibus, quarum altera ternis vicenorum octonorum versuum columnis scripta erat, altera autem binis. Nec parce dispensavit librarius prior spatium suum, sed litteris diductis tantisque angustarum columnarum usus est intervallis, ut non ita multo post tota scriptura priore deleta et erasa codicem aliis et eis maioris pretii operibus ac confertim exaratis impletum esse non sit quod miremur.

Omnes autem declamationes non integras sed excerptas fuisse eo apparet, quod et argumenta, quantum perspicui possunt, parvis intervallis disiuncta sunt, nec folia septem prima, si modo argumentum alterum non latet in eis, spatium integrae implent declamationis.

Alteram autem illam quaestionem, sitne corpus illud declamationum idem atque id, cuius pars posterior in codice Montepessulano servata est, necne, disceptare non audeam. Attamen Wilamowitzii coniecturam prorsus reicias cave. Quibus enim causis fretus Ritter l. l. exclamet: 'Was die Conjectur betrifft, welche Wilamowitz an die Notizen von Niese angeknüpft hat, so brauche ich für diejenigen, welche meine Ausführungen ge-

lesen haben, gar nicht weiter zu zeigen, dass sie absolut unhaltbar ist, non video. Nam quae ex vestigiis scripturae servatae fol. 75^v et 90^r restituere potuimus, fere isdem verbis leguntur in minoribus quae dicuntur Quintiliani declamationibus. Confer enim sis:

fol. 75	decl. 288 arg.
qui tres filios habebat, duos tyrannos occidit. petit praemii nomine, ut tertius filius eat in exilium. contradicit illi iuvenis.	qui duos filios tyrannos occiderat, petit praemii nomine, ut tertius in exilium proficiscatur.

fol. 90.	decl. 298 arg.
. . . . filium pater rusticus abdicat.	rusticus parasitum filium abdicat. C. D.

Sed cum declamatores saepius de isdem vel similibus causis egerint, duo illi loci minime sufficiunt ad firmandam Wilamowitzii coniecturam ita, ut prorsus nihil dubii relinquatur. Neque praeter illud alterius declamationis argumentum quidquam detegi potest quod speciem quandam similitudinis cum maioribus quae vocantur declamationibus prae se ferat.

In dubio igitur haeret et haerebit ista de fragmentis codicis rescripti Parisini 7900 A quaestio. Ratione quadam interiore inter se conexas quidem esse excerpta illa deperdita et collectionem utramque declamationum Quintiliani quae feruntur constat. Quae qualis fuerit, fortunae iniquitate semper latebit.

H. Dessauer.